



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Antonii Mvsae Brasavoli Medici Ferrariensis Examen
omnium Trochiscorum Vnguentorum, Ceratorum,
Emplastrorum, Cataplasmatumque, & Collyriorum**

Brasavola, Antonio Musa

Venetiis, MDLI

Senex XVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70720)

BRASAVOLI

SENE X XVII.

Hos in mea scheda trochisci Alandaal sequuntur. BRASAVOLI. De his in Pillularum examine locuti sumus, at ne laborem subterfugere uideamur de eisdem in presentiarum iterum agemus cum illo in loco non sint exquisitè pertractati. compositionem refer, ut à Mesue præcise scripta est. SE. Ita scriptum inueni.

Recipe pulpa colocynthidis albæ, & lenis, et munda à granis drach. X.

Incidantur cultro incisione conuenienti, & fricentur cum uncia una olei rosacei, deinde

Recipe tragacanthi }
Gummi, Bdellij } Singul. drach. VI.

Infundantur in aqua rosacea per dies quatuor, & conficiatur colocynthide incisa cum glutino eorum, et fiant inde trochisci, & exsiccentur, in umbra, deinde iterum terantur contritione bona, & iterum confice cum glutino eorū, & fiant trochisci, et administrētur. BRASAVOLI. Hæc est ne Mesue compositio? SE. Et integra. BRASAVOLI. Hinc colligi potest quomodo præparetur colocynthis, nimirum ex madefactione in oleo rosaceo, et ablutione, & admistione gummi arabici, bdellij & tragacanthi. nonnulli notant id quod legitur drach. x. legendum esse uncias decem, quia oleum esset nimis, ueruntamen si nimis sit in decem drachmis, minus est quam esse deberet in decem uncijs, iccirco ego intelligo drachmas, ut omnes ferè contextus scriptum habent, nec opus est ut tota uncia in ablutione consumatur, sed tantum de oleo recipit colocynthis quantum recipere potest, si uero petas quanto tempore fricari debeat, ego intelligo fricari debere

debere per spatium trium dierū, non quidem cōtinue, sed intermittendo, postea fiant trochisci. nonnulli per hos trochiscos alandaal nihil aliud intelligūt, quam colocynthida preparatā. deinde probe exsiccentur in sole ut oleum magis penetret, scitoq; hoc medicamentum ab Arabibus trochisci alandaal uocari, sed Latine dicitur trochisci de colocynthide. S E. Non præbentur soli. B R A S. Tamē præberi possunt, at magnas ingrediuntur colocynthidis loco compositiones, quod & à Mesue notatur, cum ait Confectio trochiscorum alandaal, qui ponuntur in hiera Hermetis, & in alijs confectionibus loco colocynthidis, ego illis solis nonnunquā usus sum in morbo gallico ad pituitam euacuandā quam à remotioribus partibus mirifice euacuat, tuteq; præbentur, sed opus est ut sit prædicto modo parata, & non accipiantur decem uncie, quia illa quæ corrigunt essent in minima copia, semidrachmā præbeo, plene educit, quādoq; ad duos scrupulos deueni, nūquam præbui drachmam, at alia potius secum commiscere uolui. Dioscorides colocynthidis uim uenenosam alio modo corrigit. S E. Quonam? B R A S. Quatuor medullæ colocynthidis obolos in aqua mulsa cum nitro & myrrha præbet, & decocto melle deuorata, ut possint hi trochisci secundum Dioscoridem ita parari.

Recipe pulpæ colocynthidis drach. X.

Myrrhæ, Nitri } Singul. drach. VI.

Ex melle cocto cōficiantur, et ex aqua mulsa bibantur.

S E. Sum ne hanc compositionem paraturus? B R A S.

Satis est te illam seruare compositionem, quam ex Mesue adduxisti, quoniam illam sexcenties expertis sum,